

05

A

396



IN

M

D

SS. 7

ce

DA

M,



Q. D. B. V.

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE

IMMENSITATE
DEI,

EX JEREM. XXIII. v. 23.

Quam

SUB PRÆSIDIO

Magnifici, Summè Reverendi, Amplissimi atq̄

Excellentissimi

DN. JOHANNIS

DEUTSCHMANNI,

SS. Theol. Doct. ejusdemq̄; Prof. Publ. longè

celeberrimi, Facultatis suæ Senioris perquam vene-

randi nec non Alum. Elect. Ephori primarii

DN. Patroni, Præceptoris, Promotoris, omni ob-

servantia colendi,

publicè defendet

M. CHRISTIANUS WEIGELIUS, Cygnea Misn.

SS. Theol. Studiosus & Alumnus Elect.

In Auditorio Theologico,

Ad diem 4. Octobr. .clv lvc XXCLX.



WITTENBERGÆ, Typis JOHANNIS WILCKIL

V I R O

*Maximè Reverendo, Amplissimo atq;
Excellentissimo*

**DN. JOACHIMO
FELLERO,**

SS. Theolog, Licentiato, Poëseos Prof. in Al-
ma Lipsiensi Publ. Collegii Principum Majo-
ris Collegiato, Facultatis Philosophicæ Asses-
sori, Nationis Bavaricæ Seniori, ac
Academiae Bibliotecario.

*DN. Patrono & Promotori suo singulari cultu
suspiriando.*



05 A 396

D. D. D.
Respondens.



Cum multæ mer rationes anxi-
um incertumq; redderent, quibus ali-
qua saltem ex parte gratum erga TE,
VIR EXCELLENTISSIME, animum
testari possem: non fieri id commodius posse arbi-
tratus sum, quam si leve hoc specimen offerrem No-
mini Tuo, cujus clientem tot commotus momentis
me sponte profiteor. Non enim solum eundem fa-vo-
rem, eandemq; benevolentiam expertus sum, qua
omnes eâdem terra cœloq;, qua Tu, genitos ample-
cteris: Sed singularem etiam benignitatem, imò
etiam amorem, dum colloqvendi copia esset, repe-
ri & animadverti: De qua re non solum mihi impri-
mis gratulor, eo potissimum argumento ductus,
quod ejus Viri Favorem nactus sum, quem eruditus
quisq; totumq; imò seculum deprædicat, & admira-
tur; Sed etiam occasionem hanc arripiens has pau-
cas pagellas, ut debitori convenit, dedico & offero.
Quas si non spreveris, sed potius ea, quam in Te inu-
sitatam deprehendi, humanitate susceperis, eò ala-
crius, majusq;, quod ultra vix crescere potest, Tui
stu-

studium & admiratio erit: quò hilariori fronte per-
legeris. Quod super est, servet immensum ac im-
mortale Numen TE, VIR EXCELLENTISSI-
ME, in universi eruditi politionisq; seculi decus, Fa-
miliamq; tot nominibus ac meritis splendidam cre-
scere indies ac feliciter augeri jubeat. Vale.

Dab. Wittenberga die 4. Octobr.
M.DC.LXXIX.

Tui Nominis

observantissimus
Cultor

M. Christianus Weigelius,



IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGICÆ BIBLICÆ,
DE IMMENSITATE DEI,

EX JEREM. XXIII. 23.

Textus Hebræus:

האלהי מקרב אני נאם יהוה ולא אלהי מרחק : אם
יסתר איש במסתרים ואני לא אראנו נאם יהוה הלא
את שמים ואת הארץ אני מלא נאם יהוה

Latinus Vulgatus: *Putasne, Deus è vicino Ego sum, dicit Do-
minus? & non Deus de longe? si occultabitur Vir in abscondito, &
Ego non videbo Eum? dicit Dominus: numquid non calum, & terram
Ego implebo, dicit Dominus.*

B. Lutheri Versio. Bin ich nicht ein Gott/der nahe
ist / spricht der HErr / und nicht ein Gott/der ferne
sey? Meinstu / das sich iemand so heimlich verbergen
könne / das Ich Ihn nicht sehe? Spricht der HErr.
Bin ichs nicht / der Himmel/und Erde füllet? Spricht
der HErr.

I.

Immensitatem DEI Summi contemplaturi, citra dubium,
arduum, idq; maximum opus aggrediuntur, quod o-
mnem sensum superat, mentem humanam, ac omnem ejus
cogitationem, atq; meditationem prorsus exsuperat, ac omnia
virtutis humana media repudiat. Aliis igitur, videl. vere divi-
nis, mediis in hac meditatione nobis opus erit, qualia sunt
Oracula Biblica, quæ nobis alia pandunt *Universa mysteria*, &
sic etiam *Immensitatem Divinam* exponere poterunt. Oraculum
tale per Jerem. XXIII. 23. prolatum, ex quo nunc *Biblicam
Immensitatis Divinae* considerationem instituemus.

2. Si vero præsens *Oraculum Propheticum* introspicimus
non obscure *Capita, tractationi nostræ consveta*, citra difficulta-
tem in eodem offendimus. De *tribus* propterea circa *Divi-*

A

nam

DE IMMENSITATE DEI,

nam *Immensitatem*, secundum Oraculi textum, dicturi sumus. Notabimus I. *Immensitatis divinae veram Existentiam*. II. *Immensitatis huius Essentiam*, vel *Rationem Propriam*. III. *Immensitatis etiam Proprietates*, vel *Eminentiam*.

3. *Existentiam Immensitatis divinae* quod attinet, eam primum *generaliter*, postea *specialiter* confirmatam dabimus. *Apodixis Generalis* desumitur (1) *Ex scriptura*, tum quoad *Biblica dicta*, quae sunt *tum V. tum N. T.* *Ex Veteri Testamento* probatur *Immensitas Dei* partim ex *Mose*, quando dicitur à *Melchisedeco* *⁂⁂⁂ Possessor cali, ⁂ terra* *Gen. XIV. 19.* dum actu simul possidet *caelum, ⁂ terram*, eo ipso vere constituitur *Immensus*: ex *Psalms CXXXIX. 7. seqq.* ex *Prophetis Esa. LXVI. 1. Amos IX. 2. ⁂c.* *Ex N. T.* producimus *Libros Historicos Job. IV. 21. V. 17. Act. VII. 48. 49. c. XVII. 24. seqq. ⁂ Didacticos Rom. XI. 36. I. Cor. II. 6. I. Pet. V. 7.* dum ubiq; per suam *Immensitatem onus curarum* à fidelibus suscipit: ⁂ *Propheticum Apoc. I. 8.* dum est *A ⁂ O*, totus *Alpha*, totus *Omega*, totus in omnibus ubiq;. Tum quoad *biblica relata*, quia simul refertur ad *caelum, ⁂ terram* *Jos. II. 11.* *Deus vester Deus in caelis supra, ⁂ in terris infra*: *Conf. Amos. IX. 2.* Item ad *caelum, infernum, ⁂ mare* *Pf. CXXXIX. 7.* ad *propinqua, ⁂ longinqua* h. l. *Jerem. XXIII. 21.* imò nec *caelo, ⁂ terra* capi posse *I. Reg. II. 17. II. Paral. II. 6. VI. 18. ⁂c.* Tum quoad *Biblica fundamenta*, quae multiplicis sunt generis; Talia sunt *fundamenta nominalia*, *Jehova, Ehjeh ascher Ehjeh, Zebaoth* ⁂c: *fundamenta formalia*, vel etiam *attributiva*, quia vel *omnia*, vel *plenaq; Deitatis attributa* confirmant ejus *Immensitatem*: *fundamenta causalia*, quia *Deus creavit omnia*, sed ita, ut omnia sint in ipso *Act. XVII. 28 Rom. IX. 36, Coloss. I. 16.* omnia pariter *conservat*, dū ipse *dat omnibus vitam, Inspirationem, ⁂ omnia* *Act. XVII. 25.* possidet omnia *Gen. XIV. 19.* gubernat omnia *Sap. XIV. 2. ⁂c.* (2) *Ex Natura*, quia *Deus est Natura Naturans*, cum natura rei cujuslibet *active* concurrens: *Deus est Ens Independens*, à quo dependent omnia reliqua, tum in *feri*, tum in *esse*, tum in *openari*, quod dubio procul *Immensitatem* demonstrat, dum is à nullo *mensurari* potest, qui *mensurat omnia*, suaq; *quidditatis, ⁂ activitatis Immensitate cuncta comprehendit.* Est *causa prima*, quae simpliciter
adeft,

EX JEREM. XXIII. 23.

adeft, praefit, ac influxu suo prodest cunctis aliis Entibus, & cunctis aliis causis secundis &c:

4. Specialiter etiam ex Oraculo nostro Veritas Immensitatis divina comprobatur. Nolamus autem ex antecedentibus, & consequentibus multa cumulare, sed potius hanc Immensitatem ex ipsis allegatis verbis confirmabimus (1) Ex immensi titulo, quia dicitur *Jehova*: *Jehova* nomen autem manifestum Immensitatis indicium facit, cum *Ens Entium*, vel *Essentia Essentiarum*, nulla ratione sit, aut esse possit mensurabilis. (2) ex Immensitatis subiecto, quod dicitur *Elohim*: jam hic *Elohim* est *Dominus Exercituum*, sicut appellatur in antecedentibus v. 15. 16. & in seqq. v. 36. Jam *Dominus Exercituum universalis*, qualis hic intelligitur, vere dicitur, & est Immensus, dum à nullo horum mensuratur, sed hos omnes Exercitus active mensurat. Et hic *Elohim* verus Creator est, cum in *Historia Creationis* c. I. *Genes.* semper Creator *Elohim* dicatur. dum *tricies*, & *bis*, nomen hoc in hoc uno capite repetitur. Creator autem omnium *Creaturarum* est non tantum causa, sed etiam mensura. Mensurat omnia, sed à nullo mensurari potest. (3) à perfecto Immensitatis testimonio: nam in hoc Oraculo ter illud summum infallibilitatis testimonium, DICIT DOMINUS, legitur, & quidem in omnibus hic conjunctis assertis emphatice ponitur: tria siquidem hic asserta conjuncta, vel interrogata principalia reperiuntur, quae singula characterem infallibilitatis testimonialis continere deprehenduntur. Primum conjunctum interrogatum est: Numquid Deus è vicino Ego sum, DICIT DOMINUS, ET non Deus de longe? Secundum sequitur Si occultabitur Vir in absconditis, ET Ego non videbo eum, DICIT DOMINUS? Tertium subjungitur: Numquid non Calum, ET terram Ego impleo, DICIT DOMINUS? Deus igitur ipse fit revelator indubitatus, Doctor, & Professor non informatus, non exercitatus, non creatus, sed increatus. Hoc certe testimonium tanti vel Autoris, vel Doctoris, non est de objecto vili, vel exili, sed sublimi, non de *Παινοῦς* ω, sed *ἀληθινῶ*, non de verbali, sed reali. (4) à manifesto Elogio, quia non semel Immensitatis axioma, Deo per prophetam in his verbis adscribitur, sicut ex omnibus assertis, & quaesitis, apertum. (5) ex emphatico Elogio, quia non sermone nudo,

DE IMMENSITATE DEI,

sed illustrato, non nude pronunciato, vel asserto, sed emphaticis interrogacionibus figurato, vel exornato, Deus hoc privilegium immensitatis illustrat: adhibet autem veras, imò meras interrogaciones, cum hæ maxime penetrent, & tam corda, quam aures percellant: Numquid Deus è vicino sum Ego & c.? Numquid occultabitur Vir & c.? Numquid non Ego cælum, & terram impleo? Hæ nervosæ, maximeq; notabiles Interrogaciones maximè proprium Immensitatis divine stabiliunt. (6) Ex adæquate distributionis indicio, quia tria sunt asserta, tria veritatis, & infallibilitatis assertorum interrogata, tria pariter interrogatorum objecta, quia respicit hoc illustre divine Immensitatis præconium tum divinum Esse: Numquid Deus è vicino Ego SUM? tum divinas affectiones, divinam videl. *τῶν τῶν* & intelligentiam vel Omnividentiam; Numquid Ego non VIDEBO eum? tum divinas operationes, Numquid non Ego Cælum, & terram impleo, præsentia, potentia, efficientia? Enter, præsentem, Deus hic. & ubiq; potenter. Nam Immensum DEI dicitur tum Esse, tum affectiones sunt immensa, tum operationes sunt immensa.

5. Accedimus jam ad Rationem Propriam Immensitatis Divine, quam itidem secundum analogiam Eminentem Causarum indagabimus. Ad analogiam Eminentem Efficientem respicit tum Nomen Primarium, tum pronomen Vicarium; Nomen Primarium est Jehova, qui tanquam Causa Princeps hic loquitur, qui pariter suæ majestatis axioma, vid. Immensitatem, dicendo persequitur. Pronomen Vicarium est *Ἔγω*, vel Ego, cum semper *ἔγω* Jehova conjungatur, & præmittatur, ac si diceret: Ego Jehova sum, Ego Jehova videbo, Ego Jehova cælum, & terram impleo.

6. Efficientis autem ratio si plenius attenditur, duplicem juxta nostrum Oraculum, respectum habere deprehenditur, videl. respectum Unitatis, & respectum Trinitatis. Plenissimum igitur, imò quoque planissimum hic cernimus *Mysterium Dei Trinunitatis*. hoc pacto Principium Immensitatis (1) Una Divina Essentia (1) quia unum est nomen Jehova, & unum Ens, una quidditas, vel Essentia, Deus Unus, dum semper idem est Jehova in Oraculi principio, vel primo quæsito: Idem est Jehova, in Oraculi medio, vel secundo quæsito: tandem & Idem Jehova manet, in Oraculi termino, vel tertio quæsito. (1) quia
unum

EX JEREM. XXIII. 23.

unum est Pronomen DNI , quod pariter semper unum, & idem ab initio, in medio, & exordio. Deus enim semper idem est Ps. CII. 28. (2) quia semper idem est dicens, Dicit Dominus in primo, Dicit Dominus in secundo, dicit Dominus in tertio Interrogato: semper idem Ens, semper idem Dicens. (4) quia Essentia divina est primum principium omnium divinarum Attributorum: Ergo pariter est Principium hujus Immenfitatis.

7. Trina Divina subsistentia, quod & conjunctim de Tribus Deitatis personis notari potest, & distinctim pariter de singulis. Nam secundum Athanasii Symbolum: Immensus est Pater, Immensus Filius, Immensus Spiritus Sanctus, & tamen non tres Immensi, sed unus Immensus. Conjunctim igitur probatur. (1) ex Trinitate Nominis Elobim, dum Elobim hic allegatur per יהוה constructum: hoc autem Elobim in prima, biblica, materiali, Theologica significatione, & usurpatione, Trinitatis est indicativum, & significativum Gen. I. 1. significat enim Tres personas S. S. Deitatis, sicut Jehova notat unitatem Essentia, qua de causa Nomen illud augustum Gen. II. 4. seqq. undecies sic repetitur, ut Jehova praesupponat Essentiam Unam singulariter, & Elobim subjungat, & inferat personarum Trinitatem pluraliter. Vid. Jehova Elobim Creator & Conservator, ubi laepius illud à nobis demonstratum. Item tract. I. in superioribus Disput. de Nom. Jehova, & Elobim. (2) ex repetitione Nominis Elobim: ne quis dubitare possit. aut velit de hac Trinitate personarum, propterea bis hoc Trinitatis symbolum in primo statim Interrogato producere Spiritus voluit. (3) Ex Trinitate Nominis Jehova, quod non absque causa ter in hoc Oraculo brevissimo citatur, & ad ipsam Trinitatis meditationem, & contemplationem, anima fidelis hac ratione vocatur. (4) Ex Trinitate Pronominis DNI , quia non sufficit Spiritus Sancto ter Nomen Jehova Primarium adhibuisse sed etiam Pronomen vicarium trina vice repetere constituit ut eò plura limpidissima specula Trinitatis hic exiarent. (5) Ex Trinitate verbi DNI , quia Spiritus S. hac etiam ratione Sphaeram S. S. Trinitatis illuminare voluit, dum hoc etiam Verbum ter repetit. (6) Ex Trinitate Grammaticarum Partium, quia Spiritus S. non in una saltem Orationis parte, vel altera talia Trinitatis symbola produxit, sed potius per tres Orationis partes primas, easque tantum non praecipuas diduxit, dum

DE IMMENSITATE DEI,

alterum Trinitatis speculum, ex classe Nominum vid. Jehova; & Elohim alterum, ex classe Pronominum N; alterum ex classe Verborum, vid. Quid est petendum. Si quis verò Trinam etiam repetitionem Interrogativa particula Quid, vel etiam ipsas Interrogationes pro speculis Trinitatis in hac notabili materia, vel etiam in hac notabili sententia, in hac notabili eloquentia, velit adhibere, nos contradicentes non habebit, cum juxta Sapientes judaeorum, ab omni vocula, vel etiam ab omni litera montes sapientiarum pendeant. Et quicquid pro notitia, pro Gloria, pro fiducia S. S. Trinitatis allegari, vel explicari, vel applicari potest, illud & ad primos natales respicit, dum S. S. Trinitas est omnium litterarum & sententiarum scripturae prima non tantum, sed & principalis origo: & ad finem optimum tendit, dum omnia propter gloriam S. S. Trinitatis revelata dicuntur.

8. *Distinctim etiam non immerito Personae Deitatis, tanquam principium Immensitatis ex textu considerantur: nos brevitate studebimus. Sic h. l. notatur (1) Pater immensus. (a) quia Jehova personaliter immensus primus, Pater est. v. 23. (b) quia hic Immensus Jehova dicitur à se peculiariter, sicut secundus est ab hoc, & Spiritus Sanctus tertius immensus unigenitus est à Patre, Filiusq; Immensus. (c) quia primus sic peculiariter immensus, ut in hac formalitate primitatis, & aeternitatis solus in v. 23. reperiatur: sed reliquae duae personae, secunda vid. & tertia, sic de Immensitate participant, ut ratione primi distingvantur, & in v. 24. tanquam originem à primo habentes, quoad hoc tertium, in hoc v. 24. conjunguntur. (d) quia primus magis absolute, ratione Immensitatis, adducitur, Numquid è vicino sum Ego, & non Deus de longe, sed in reliquis respectus magis attenditur, respectus ad virum tribuitur secundo Jehova, respectus ad caelum, & terram tertio, secundus respicit ad visionem, tertius ad impletionem. &c:*

9. (2) *Filius Immensus est, v. 24. (a) quia medius est, non Primus, non Tertius. (b) quia tantum est à primo, non autem à Tertio. (c) quia hic dicit à Dicente Patre. (d) quia nec immensus est à se, sed à Patre. (e) quia Filius ad Virum respectum propiorem habet, quam Primus & Tertius, dum ipsemet est θεὸς ἄληθινός, verus Vir Jehova Gen. IV. 1. (f) quia magis nobis convenienter viros videre, vel etiam*

EX JEREM. XXIII. 28.

etiam cum iis conversari, aut ex occultis protrahere dicitur. Efa. XXIX. 15. Job. XXXII. 36. &c:

10. (3) Spiritus S. Immensus dicitur. (a) quia est à Primo, & Secundo Jehova Immensus, h. e. à Patre, & Filio. (b) quia postremus hic in immensitate, quoque postremus est in Deitate. (c) quia Dicit Spiritus Sanctus à Dicente Patre, & à Dicente λόγῳ, sive Verbo, vel Oratore, sicut aliàs Spiritus, & à Loquente, & à Verbo Loquentis, communiter promanat. (d) quia dicitur calum & terram implere, quod alias est Spiritus, unde passim de Spiritu Sancto, tum in Veteri, tum in Novo Testamento talis Impletio dicitur, qua ratione Patri, Filieque, contradistinguitur.

11. Digredimur jam ad analogiam Eminentem Rationis materialis: & certum est, quod nullus in hoc Clasfico loco respectus Eminens materialis deficiat. Nam quoad Materiam ex qua, certum è dictis est, (1) quod Immensitas sit Ipsius Essentia. (2) quod Immensitas sit subsistentia, tum Patris, quia Pater est immensus; tum Filii, quia Filius est Immensus; tum Spiritus Sancti, quia hic etiam revera dicitur Immensus. (3) quod Immensitas sit efficientia, vel Attributorum, cum Attribute Deitatis revera dicantur Immensa; sic immensa Deo tribuitur Bonitas, Immensa perfectio, Immensus Intellectus, Immensa Voluntas, Immensa Libertas, Immensa Gratia, vel etiam Misericordia, Immensa Potentia. &c: (4) quod Immensitas sit Efficientia, quia Deus nec est, nec esse potest, alia Causa, quam Immensa, cum in causalitate non modo sibi soli, sed etiam universis Causis Inferioribus, & secundis sufficiat, ita quidem, ut influxu Cause primæ perpetuo, Catholicoque, nihil Cause primæ decedat, neque concursu causarum inferiorum, & secundarum omnium Cause primæ nihil accedat, sed in se, suoque statu virtutis immense, semper ea consistat. Si quis hos respectus partiales conjungere, totamque Deitatis Immensitatem in omni sua latitudine totum Materiale salutare velit, id certo respectu facere poterit.

12. Quoad Materiam in qua negari non potest, dari verum Immensitatis divinæ Subjectum. (1) quia verum Immensitas est attributum; attributum vero necessario suum intendit, & attendit

DE IMMENSITATE DEI,

tendit *subjectum*, & illud unice respicit. (2) *quia* communiter dicitur, quod Deus sit *Immensus*: quod verò dicitur ab omnibus, illud certe negari neq; potest, neq; debet. (3) *quia* Deus est & *subjectum predicationis*, dum *logice* *Immensum* esse, tanquam *predicatum*, enunciatur de *Deo*, tanquam *subjecto*, sicut verissime dicitur, *Deus est immensus*: & *Metaphysice*, vel *Pneumatice*, quoq; Deus dicitur *subjectum attributionis*, dum, per veram *competentiam*, *Immensitas* Deo tribuitur, & sic etiam dicitur *attributum* hujus *Subjecti*. (4) *quia* h. l. dicitur *Immensitas* de *Jehova*, & de *Elohim*, sicut ex ipsis verbis est manifestum.

13. Est autem *Subjectum Immensitatis* aliud *ut quo*, videl. *Essentia Divina*, secundum, & propter quam Deus revera dicitur *Immensus*: Nam in divinis *Principium*, & *Subjectum*, inter se non tantum *reciprocantur*, sed etiam *identificantur*, sicut idem fit in *transcendentalibus*. Nam *Ens* est *Principium Attributorum Transcendentalium* dum omnes *Affectiones Transcendentales* ab *Ente* promanant: & *Ens* quoq; *Subjectum Attributorum Transcendentalium*, dum revera *Proprietates* & *Affectiones Transcendentales* *Ens* ipsum, tanquam *Subjectum* suum, afficiunt, & *afficiendo* respiciunt.

14. Aliud *ut quod*, hoc dicitur ipsa *Persona*, *quia Principium* *ut quod* vulgo dicitur *suppositum*, dum, juxta vulgatum *Canonem*, *Actiones* & *Passiones*, multo magis *Affectiones* sunt *suppositorum*. Sic igitur *Subjectum* *ut quod* peculiariter per *Elohim* notatur: *quia* dicitur *Elohim*, *Deus*, è vicino, *ET Deus de longe*. Hic pacto tum *Jehova Primus*, i. e. *Pater*, est *Subjectum*; tum *Jehova Secundus* est *Subjectum Immensitatis*; tum *Jehova Tertius* est *Subjectum Immensitatis*. Sic etiam idem ex *Elohim* nomine declarare possumus, dum *Elohim Pater* est *Immensus*, *Elohim Filius* est *immensus*, & *Elohim Spiritus Sanctus* est *Immensus*, cum *Elohim Trinitatis* sit *Symbolum*.

15. Quoad *Materiam* circa quam *Immensitas* Dei versatur circa omnia, quæ sunt *DEI* καὶ ἐσω, & quæ sunt extra Deum, vel καὶ ἔξω. καὶ ἐσω suo modo *Proprium Immensitatis* afficit *Divinam Essentiam*, vel *Jehovam*, omnem *DEI Subsistentiam*.

EX JEREM. XXIII. 23.

am, vel Elobim, omne Deitatis Attributum, quodlibet internum opus. Omnia siquidem suis respectibus Immensa dicuntur, quia nihil in Deo reperitur, quod mensurabile dici queat. Manent igitur omnia, quæ Dei sunt, immensa, καὶ ἐξω versatur v. 23. circa vicinum & longinquum, v. 24. circa clandestinum vel absconditum, & circa manifestum: ac eodem vers. circa caelum & terram, & omnia, quæ sunt in eis, eadem implendo, presenti vid. adessentia, potenti virtute, vel efficacia, causali pariter efficientia. Uno verbo versatur circa Omnia.

16. Progredimur ad Analogian Eminentie Formalis Rationis, quæ multis quidē inquiritur, sed in se nullis l. modis, l. mediis, directe vel proponitur, vel exponitur. Est enim summum Immensitatis divinæ secretum: est maximum Deitatis arcanum: est tremendum, non inquirendum caelorum Mystrium. Nonnulli dicunt, quod Immensitas sit ubiætas DEI prorsus interminabilis, qua nulla ratione terminari potest. Alii quod sit Ubiætas interminabilis, qua Deus non potest ubiq; non esse. Alii, quod sit Ubi Dei repletivum: alii aliter. Nos omnium rectissime satis officio nostro faciemus, si meditationes nostras per limites textus præscriptos terminemus. Spiritus Sanctus enim hosce terminos posuit, & devotis meditationibus proposuit. Verum verba textus legimus, sensum ob imbecillitatem mentis percipere, vel propter obscuritatem intellectus videre non possumus. Specula sunt, in quibus corticem cernimus, sed nucleum non introspicimus, externam speciem conspiciamus, sed ipsam formam internam inspicere non valemus. Huc igitur pertinet illud Pauli, I. Cor. XIII. 9. Nunc ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus: item v. 12. Videmus nunc per speculum in enigmate: hac partiali cognitione, hac speculati contemplatione, hac enigmatica, vel involuta consideratione contenti simus, donec contingat nobis idem, quod Paulus l. d. expectat v. 10. Cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est v. 12. tunc à facie ad faciem videbimus, & non ex parte, sed ex asse cuncta cognoscemus, & verè cognoscemus Deum, sicut est, I. Job. III. 2. non tantum in aliis axiomatibus, vel attributis, sed etiam quoad hanc eminentissimam Deitatis proprietatem, quæ dicitur Immensitas.

B

17. Con-

DE IMMENSITATE DEI,

17. Considerabimus autem *formalem rationem*, (1) *Verbaliter*, seu *modaliter*, quoad *externum textum*, sic *forma* non tam est *grammatica*, quam *Rhetorica*, non tam *nuda*, quam *vestita*, vel *ornata*, dum per *ornamenta* quaedam *sermonis*, non tam *assertoria*, quam *Interrogatoria*, figuratur quia sicut superius monitum, *Tria* reperiuntur hic *Interrogatoria*, eaque non *humana*, nec *angelica*, sed *divina*, cum Deus semper in omnibus *Interrogatoriis* loquatur in *Prima persona*, per pronomen *Ego*, *Ego sum*, *Ego impleo*. Sic etiam superius notatum quoad antenus, quod hic noster *textus*, quoad *formam*, sit *efficacissimus*, sit *plenis- simus textus*. Nunc alia ratione procedemus, & *formam textuali* declarabimus. (1) quoad *feri*, sic *perfectum* hic reperi- tur *Dicere*, dum *omne trinum est perfectum*: *trina* vice vero hoc *Dicere* repetitur, & ceu *proprium Jehova* producitur: *Dicit Je- hova*, *Dicit Jehova*, *Disit Jehova*. *Dicere* verò *DEI* vulgo nihil aliud est, quam *facere*: sic ergo *textualis Fit forma* per *Dicere DEI*. (2) Quoad *Esse*, sic constat ex *tribus Interrogatoriis*, quem- admodum ex ipso *textu* patet, (a) *ex Interrogatorio* quoad *Immensitatem Essentiae* v. 23. (b) *Ex Interrogatorio*, quoad *Im- mensitatem Intelligentiae*, quae declaratur per *πνεῦμα* *Ψία*, seu *Visionem Divinam*, & consequenter respicit omnia *Deitatis At- tributa*, cum de *similibus simile* ferendum sit *judicium*. (c) *Ex In- terrogatorio*, quoad *divinam Efficientiam*, quae dicitur *Celum & terram Deus Implere*. (3) Quoad *operari*, quod latet in empha- tica radice *DNJ*, sicut ex *sequentibus* apparebit. Hac certe *forma* nec *convenientior*, nec *evidentior*, nec *efficacior*, dari pos- set. Sic igitur *Externa*, seu *textualis forma* bene, vel optime se habet, & *Deus* *mysteriorum*, & hujus *Immensitatis difficultatem* *verborum perspicuitate* nobis exhibet, ut aliquid saltem de tan- tis *mysteriis*, vel *concipere*, vel *cognoscere*, vel etiam ad ceptum nostrum *proponere* possimus.

18. Sed *realis*, ut ita loquamur, *ratio formalis* longe *diffi- cilio*, longe pariter *obscurior*, nos *melior vi* a procedere non po- terimus, quam si *Dei viis*, & *artificiis* insistamus, quae nobis *textus* itidem exhibere videtur. *Verbum enim Dei* nobis *τὸ μὲν*, & cer- tum *veritatis vestigium*, ad *inquirendum*, *speculum*, ad *contpicien- dum*

EX JEREM. XXIII. 23.

dum, *medium* ad concipiendum, *instrumentum* ad cognoscendum, *pondus & complementum* ad credendum. Utitur autem Deus (1) *via*, vel *artificio Negationis*, quia si non statim cognoscere possumus in *difficilioribus*, *quid res sit*, tantum *discipere* debemus, *quid non sit*, ut per *negationum*, & *remotionum ambages* ad *generalem* saltem aliquam, & *confusam notitiam* perveniamus: Sic h. l. *textus Interrogatoria cuncta negativa* primo quidem intuitu videntur: Numquid non Ego Deus de longe? Numquid non Ego videbo eum? Numquid non Ego impleo? Sic igitur Deus vigore sublimis hujus *Immensitatis* negat, (1) *omnem propinquitatem*, quod videl. non sit Deus è propinquo, nim. *exclusive*, sicut etiam non sit Deus è Longinquo: neq; Deus ita dicitur Deus è propinquo, quasi *localiter* sit è propinquo, sicut corpora *localiter* sibi mutuo dicuntur propinqua; vel *illocaliter*, sicut Angeli nobiscum esse dicuntur è propinquo, nim. *definitive*, quoad *πᾶ suum definitivum*, (2) *omnem longinquitatem*. Quod Deus porro non sit Deus è longinquo, vid. iterum *exclusive*, quasi non sit è propinquo: vel quasi Deus peregre possit abesse per *longinqua loca*, sicut *Esaias* irridebat *Baalem*, & *Baaliticos Idololatrias* I. Reg. XIX. 27. (3) *omnem absconditam occultationem*: num occultabitur Vir in absconditis, & Ego non videbo eum? q. d. nullus vir in nullis absconditis angulis occultari potest, cui propter *immensitatem* meam præsens non sim, eumq; præsens oculis meis videre quem. (4) *omnem à cunctis locis remotionem*: nam *calum & terra*, juxta scripturam, *citra dubium omnia loca continent*: qui verò *calum & terram* replet, is *citra dubium immensus* est, & à nullo loco vel removeri potest, vel debet.

19. (2) *Via*, vel *artificio positionis* vel *affirmationis*, quia *negationes* divinæ non sunt *communes*, & *mere* vel *privationis*, vel *carentia*, sed potius sunt *eminentes*, & *realissima* positiones, & *perfectissima* quædam *abundantia*, quæ ratione ponitur, (1) *Positio presentissima propinquitatis*, quia Deus ubiq; locorum maxime *propinquus* esse dicitur. (2) *positio presentissima longinquitatis*, dum ita dicitur *maxime propinquus*, ut etiam sit *maxime longinquus*, idq; non per *mobilem*, vel *immobilem transitum*, sed potius per *immobilem & immutabilem immensitatis statum*. (3)

DE IMMENSITATE DEI,

positio presentissime penetrationis occultorum, quia viris omnibus in locis intimis, & absconditis, maxime præsens est. (4) positio presentissime visionis omnium manifestorum, quia Deus Ipse videt omnes, & omnia, nec eidem quicquam est ignotum. (5) positio cunctipresentis & universa completis immensitatis, quia calum & terram, & omnia, quæ sunt in eis, immensitate suæ majestatis adimplere perhibetur.

20. Hac igitur ratione multis modis *Immensitatis divine forma* declarari potest, (1) *ratione principii*, quod *Deus* est, quod fit *Immensitas Ejus*, non in *accidentali* quadam *inherentia*, sed *materialiter* in ipsa *Deitatis Essentia* consistens, quia dicit, *Ego SUM è vicino, & è longe*, vel, quod idem est, *immensus*: sic hæc *Immensitas formaliter* non est *verbalis*, sed *realis*, non *inhesiva*, sed *Entitativa*, non *localis*, sed *essentialis*, non *qualitativa*, nec *quantitativa*, sed *quidditativa*.

21. (2) *Ratione subjecti*, quod iterum *Deus* est: sed in hoc *subjecto tria* deprehenduntur, sicut in alio quovis *Ente*, nim. (a) *Ipsamet Essentia divina*; (b) *Attributa divina*. (c) *Opera divina*. Quoad hæc tria momenta *Spiritus Sanctus formaliter*, & sic totaüter, *Immensitatem* divinam introducere videtur. Nam *Immensitas Dei formaliter* infert, (1) *Ipsum Immensum Esse Dei: tum absolute*, quoad ipsam *Essentiam*: *Ego sum immensus*, *Ego sum immensus Jehova*; tum *relatè*, quoad *personas Deitatis*, *Ego sum Elobim Immensus*, *Ego sum Immensus Elobim Pater*, *Ego sum Elobim immensus Filius*, *Ego sum Elobim immensus Spiritus Sanctus*. (2) *Ipsas Proprietates Immensas*, sic h. l. dicit *Dominus*, *mea Vicinitas est immensa*, *mea longinquitas immensa*, *Mea Visio immensa*, *Mea Intelligentia*, *Mea Scientia*, *Sapientia Immensa*, *Mea presentia est immensa*, *meæ Proprietates omnes sunt immensæ*. (3) *Operationes etiam immensas*, quia loquitur *active*, quod *impleat immense calum*, *impleat immense terram*, *adimpleat pariter omnia*, quæ sunt in *calis*, & in *terra*. Quot igitur in his sunt *immense Deitatis operationes*, tot etiam *Immensitatis divine sunt evidentissimi testes*. Vix potuisset plenius *Forma divine Immensitatis* explicari.

22. (3) *Ratione loci*, cum omnia *Corpora* dicantur *mensurari loco*, quod vero superat omnia loca, citra dubium
loco

EX JEREM. XXIII. 23.

loco nullo mensurari potest, vereq; sic immensum dicitur. Spiritus Sanctus etiam hac ratione nobis Immensitatis formale declarat, quod Deus Immensitate sua formaliter superet, (1) Ipsa loca, quia successive non est, mox in vicino, mox in longinquo loco, sed simul citra successionem, vel successionum motionem omnem, est ET in vicino loco, ET in longinquo loco, conjunctive, non disjunctive: De localibus, enim objectis dicitur alias, quod sint AUT in hoc, AUT in alio loco, AUT in vicino, AUT in longinquo: sed de Deo glorioso, vel ejus Immensitate, longe res aliter habet, quia dicitur DEUS, ET est in vicino, ET in longinquo, SIMUL & SEMEL, imò SEMPER. Hinc Immensitas Dei superat omnia loca. (2) Ipsa locorum contenta, dum in locis continentur vel res, quæ dicuntur locata, vel etiam in iis fiunt Actiones, quæ propterea dicuntur locales. Deus autem Immensitate sua longissime superat omnes res locatas, & omnes actiones locales, quando dicit: Numquid occultabitur vir in absconditis, & Ego non videbo eum? Loca vel sunt abscondita, vel manifesta: Viri, vel alii homines, & cum iis, etiam res, continentur in locis vel absconditis, vel apertis: sed Deus superat omnia, sive sint in absconditis, sive manifestis locis, & sic tum loca rursus, tum locata superat: sua pariter visione, vel alia quavis operatione, cunctas actiones locales transit, dum suis immensis operationibus, vel etiam immensa sua visione, talia regit & inspicit. (3) Ipsa locorum spacia, vel continentia. Licet enim, juxta nonnullos Physicos, loca sint ipsa spacia, tamen h. l. Spiritus Sanctus Spacia Spaciorum introducit, nim. Cælum & terram, deq; spaciis illis omnium summis & imis, longissimis & latissimis, pronunciat, quod, immensitate sua, Deus hæc omnia, Cælum & Terram impleat, adeoq; revera sit, & maneat Immensq.

23. (4) Ratione predicamenti, quia cuncta, cum primis primaria, predicamenta Deo immensitate sua transcendit, adeoq; sic in forma transcendentali, vel eminentissima, nobis exhibetur, dum Immensitas divina transcendit, (1) omnem substantiam, vel quidditatem, quia vocatur Immensitas Jehovæ: sicut igitur Jehovæ, tanquam Ens Entium, Essentia quarumvis Essentiarum, transcendit omnes finitas, & predicamentales substantias, & ipsum

DE IMMENSITATE DEI,

totum *Substantie predicamentum*; sic etiam *Immensitas* divina *Substantie predicamentum*, & omnes ejus *classes transcendit*: hinc dicitur: *Ego sum Jehova*. (2) *omnem quantitatem*, quia transcendit *omnem vicinitatem*, *omnem longinquitatem*, quia *simul & semel*, est *in vicino*, & *in longinquo*: quia ratione vero *quantitates* has eminentissime transcendit, sic eadem ratione *quantitates* alias *immensitate* sua transcendere perhibetur. (3) *omnem qualitatem*, quia Deus penetrat omnia, tum *obscura*, tum *abscondita*, tum *tenebricosa*, &c: sua *visione immensa*, non potest talia non transcendere: *Numquid occultabitur Vir in absconditis, & Ego non videbo eum?* (4) *omnem relationem*, quia *caelum & terram*, *summum & imum*, *circulum & centrum*, & alia *cuncta* per *immensitatem* suam replet, & eadem illa *universa & singula simpliciter transcendit*.

24. (5) *Ratione nostri*, quia *cuncta*, quæ sunt hominum, *immensitate* sua respicit, & superando vincit: sic enim *immensitate* sua penetrat, (a) *animum*, & *animam hominis*: *Putasne*, dicit *Vulgatus*: & omnes quæstiones præsentis ad *hominis mentem* referuntur, dum non *alii*, quam *homines* interrogantur, in omnibus his *interrogatoriis*, sicut hoc ex ipso contextu patet, & nullis documentis, vel argumentis opus habet: *Numquid? Numquid? Numquid? Trinum*, & *perfectum* est *Examen Interrogatorium*, quo respectu Deus, ut *immensus*, est in *mentibus*, *interioribus motibus*, *cogitatis*, &c: hominum. (b) *Corpus* pariter, quo ad omnes *situaciones* longissime transcendit, tum quo ad *juxta*, quia Deus *immensitate* sua hominem, *juxta vicinum*, & *longinquum*, eminenter comprehendit: tum quo ad *extra*, licet *Vir* in *externo* quodam *abscondito* loco seipsum occultare velit, Deus tamen *immensus* ibidem est in omnibus *occultis locis externis*, ipsumque præsentissime videt: tum quo ad *supra*, quia Deus *immensitate* sua replet *caelum*, supra homines universos, & de *caelo* semper respicit: tum quo ad *infra*, quia pariter *terram* implet: tum ab *intra*, quia non tantum *caelum & terram*, sed etiam omnia, quæ sunt in iis, cum primis etiam homines, ab *intra* modis omnibus *immensitate* sua replet.

25. (6) *Ratione Objecti*, quia Deus *immensitate* sua circa cuncta versari dicitur. (1) *circa quolibet Entia*, quia dicitur *Jehova*, *nim. Ens Entium*, adeoque sua vel *Entitate*, vel *immensitate*, non potest

rest occupato non esse circa qualibet Entia. (2) circa Entium Propria, qualia sunt loca, tum vicina, tum longinqua, tum occulta, tum manifesta: sunt etiam tempora, Ego SUM non tantum immensitate locorum, sed etiam temporum, cum DEI sum sit semper praesens, eminenter praesens, omnia tempora simpliciter immensitate sua transcendens, cum DEI praesens sit immensum, & inmensurabile, dum simpliciter aeternum. (3) Circa qualibet Entium facta, sive Viri se occultent sive non, sive quippiam aliud agant. (4) Circa qualibet Entium facta, sive lateant in abscondito, sive versentur in aprico, Deus immensitate cunctis adest, cunctos, & omnia, quae sunt ipsorum, penitissime suis oculis immensis videt. (5) circa qualibet Entium theatra, eaq; universalissima, quia replet caelum & terram, quae sunt universalissima rerum domicilia, vel theatra.

26. (7) Ratione Essendi modi, sic declaratur. (1) per esse propinquam & longinquam. Hebraei dicunt, quod positivi summatus pro superlativis, sit Propinquus est Propinquissimus, Remotus Remotissimus & hinc fit argumentum: Quicumq; propinquior propinquissimus, Remotior remotissimus, & quidem simul ille necessario dicitur immensus. (2) per esse repletivum, quia replet caelum & terram.

27. (8) Ratione proponendi modi, quia perfectissimus hic proponendi modus adhibetur, ea de causa, nim ut perfectissima ratio formalis immensitatis exhibeatur. Nam perfectissimus hic modus est, (1) ratione proponentis, quia semper est Jehova, Trinus est Jehova; citra dubium Pater, Filius & Spiritus S. (2) ratione sermonis qui perfectus est, ratione subjecti Jehova, ratione predicati, Dixit: perfectissimum Nomen, perfectissimum Verbum, cum nec Deo perfectio Ens sit, nec Dei Verbo perfectio sermonis medium sit. (3) ratione perfecta repetitionis, quia trina vice repetitur, dum omne trinum perfectum esse dicitur. (4) ratione perfecta certitudinis, quia $\tau\theta$ DNJ dicitur ipsius certitudinis verbum, & sic $\text{נא} \text{ה} \text{צ} \text{ו} \text{ח} \text{ו} \text{נ} \text{א}$ Certitudinem importat. (5) ratione pulcherrima collationis: nam sicut hoc symbolum assertionis Immensitatis divinae totum praesentem verborum circulum adimplet ab initio, in medio & sine, sic etiam signatum immensitas totum rerum circulum re ipsa complet: sicut hoc Symbolum textum inchoat, continuat, & consummat; ita divina immensitas totam Universitatem rerum inchoat, continuat, & consummat; sicut $\tau\theta$ Dicit Dominus est in omnibus, vid. in primo, secundo, tertio In-

DE IMMENSITATE DEI, EX JEREM. XXIII. 23.

interrogatorio præsentis Oraculi: sic immensitas Dei est in supremo, medio, & infimo, est in omnibus &c.

27. Tandem breviter ad *Finem Immensitatis* divinæ respicimus, qui dicitur *alius* ratione DEI, nim. tum *DEI Gloria*, quam *mirifice Privilegium Immensitatis* demonstrat, sicut omnia verba, cum primis quoad *Interrogatoria* ponderosa, *DEI Gloriam* insinuare videntur: *Numquid non Ego sum Deus è vicino?* &c: tum *Immensitatis divina revelatio*, seu *notificatio*, quia per tria *symbola* notabilissima, *DICIT DOMINUS*, &c: hanc *immensitatem* notificare simul & commendare Deus voluit.

28. *Alius ex parte Hominis*, nim. (a) *Plana Immensitatis divina cognitio*, quam non possumus ex hoc *Oraculo* non cognoscere: Certum enim est, quod *Immensitatis divina revelatio* tendat ad nostram *cognitionem*, cum ad hunc ipsum finem Deus in omni suo *Verbo* respiciat. (b) *Plena seu fiducialis Immensitatis divina apprehensio*, quia Deus propterea suam *Immensitatem* proponit, nec homo propter aliam causam illam *cognoscit*, quam ut firmiter eam *credat*, sicut *Jeremias, c. V. 3.* testatur: *Oculi tui, Domine, respiciunt fidem.*

29. Restat adhuc, ut breviter aliquid de *Proprietatis hujus Eminentia* dicamus, cum hæc *Immensitas* sit, (1) *vere divina*, quia *Jehova*. (2) *plene divina*, cum sit *Essentia, personarum, Affectionum & Operum*, prout vidimus. (3) *Essentialis*, dum est ipsius *Jehova*. (4) *Intima*, dum non *ab extrinsecis* mensuratur, sed *in ipso Jehova* consideratur. (5) *adequata*, quia per *calum & terram*, per *homines, & alias creaturas*, Deus *immensus* dicitur. (6) *Necessaria*, quia si non *immensus* esse Deo, nec *Deo* esset: imò non tantum ratione *DEI*, sed etiam ratione *creaturarum necessaria*, quæ necessariò sunt à Deo, necessariò sunt *in Deo* &c: (7) *Evidentissima*, quia Deus per *meras Interrogationes* eam proponit, atq; sic ostendit, quod eam nemo rationalis negare possit. (8) *Nobilissima*, quia proprium *Deitatis attributum*, quod nulli *creaturarum communicabile*. (9) *Jucundissima*, quia maximum affert solatium, quando *Deum immensum* in mediis tribulationibus nobiscum habemus. (10) *Efficacissima*, quia licet in se non sit *Attributum ἐπετηκόν*, tamen est etiam *fundamentum universalis Providentia*, siquidem Deus per hanc *immensitatem* omnia videre dicitur *in abscondito* vel etiam *efficaciter implere* deprehenditur. v. 24.

05 A 396

ULB Halle

3


004 210 549



VD17







Q. D. B. V.
DISPUTATIO THEOLOGICA
DE

IMMENSITATE

DEI,

EX JEREM. XXIII. v. 23.

Quam

SUB PRÆSIDIO

Magnifici, Summè Reverendi, Amplissimi atq̃

Excellentissimi

DN. JOHANNIS

DEUTSCHMANNI,

SS. Theol. Doct. ejusdemq̃; Prof. Publ. longè
celeberrimi, Facultatis suæ Senioris perquam vene-
randi nec non Alum. Elect. Ephori primarii

*DN. Patroni, Præceptoris, Promotoris, omni ob-
servantia colendi,*

publicè defendet

M. CHRISTIANUS WEIGELIUS, Cygnea Misn.
SS. Theol. Studiosus & Alumnus Elect.

In Auditorio Theologico,

Ad diem 4. Octobr...cl̄ lvc XXCIX.



WITTENBERGÆ, Typis JOHANNIS WILCKIL